Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26181
Copyright: Admont, Benediktinerstift

57

BIBLIOTHECA ADMONTENSIS

eternam requiem cum sua pace recipiat. Amen.

Explicit regula sanctorum Pauli et Stephani.

Incipit regula sanctorum patrum Serapionis. Macharii. Paffnutii. et alterius Macharii.

SEDENTIBUS nobis in unum. consilio saluberrimo cum prece dominum rogavimus. ut nobis tribueret spiritum sanctum qui nos instrueret qualiter fratrum conversationes ut regulam vite ordinare possemus.

Quoniam misericordia domini plena est terra. Serapion dixit. Et multorum agmina ad virtutis fastigium tendentium. et quia heremi vastitas et diversorum monstrorum terror singillatim habitare fratres non patitur. optimum videtur sancti spiritus preceptis obedire. Nec enim propria verba possunt firma perseverare. nisi firmitas scripturarum nostram ordinem firmet que dicit. Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. et iterum. Qui habitare facit unanimes in domo. Firmata iam nunc regula pietatis. per spiritus sancti ostensionem preclaram fratrum regulam ordinare prosequamur. Volumus ergo fratres unanimes in domo cum iocunditate habitare. sed qualiter unanimitas ipsa ut iocunditas recto ordine teneatur. deo iubente mandamus. Volumus ergo unum esse supra omnes. nec abeuntes impio quicquam sinistrum declinare. sed sicut imperium est domini cum omni leticia obedire dicente apostolo. Obedite prepositis vestris. quia ipsi vigilant pro vobis. Et dominus dicit. Nolo sacrificium. sed obedientiam. Considerandum est ab his qui se tali opere unanimes esse cupiunt. quia per obedientiam Abraham placuit deo et amicus dei appellatus est. Per obedientiam ipsi apostoli meruerunt testes domino in tribubus et populis esse. Ipse quoque dominus noster desupernis ad inferiora descendens ait. Non veni facere voluntatem meam. sed eius qui me misit. His ergo tantis virtutibus firmata obedientia magnopere magnoque studio teneatur.

Quoniam fratrum insignia virtutum Macharius dixit. habitationes ut obedientiam supius conscriptas pervenerint. nunc qualiter spiritale exercicium ab his qui presunt teneatur deo iubente ostendimus. Debet is qui preest talem se exhibere ut apostolus